

1996-03-07 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Verba Concilii’

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA DATA
CAROLO S.R.E. CARDINALI FURNO,
ELECTO MISSE EXTRAORDINARIO AD
XIII EUCHARISTICUM CONGRESSUM
IN BRASILIENSI NATIONE CELEBRANDUM***

*Venerabili Fratri Nostro
CAROLO S.R.E. Cardinali FURNO*

Verba Concilii Oecumenici Vaticani II « In Sanctissima Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur » (*Presbyterorum Ordinis*, 5), prae oculis intento animi studio habentes, Nos Ipsi plurima aggredimur incepta ut catholicae Ecclesiae fideles, Eucharistiae momentum pro sua spiritali vita considerando eademque sustentati ac roborati, etiam vitae suae oblationem Deo omnipotenti facere valeant.

Laetantes idcirco accepimus in Brasilia, nominatim vero in Victoriensi Spiritus Sancti urbe, XIII Eucharisticum Congressum Brasiliensis Nationis diebus VII-XIV mensis Iulii huius anni sollemniter iri celebratum. Quarum sollemnitatum sacrae celebrationes, ut scimus, non solum ad fideles Brasilienses pertinent, sed quodam modo ad omnes Christi discipulos qui per Eucharistiam magis in dies in Christi Corpus inseruntur.

Quia vero Venerabilis Frater Silvester Aloisius Scandian, Archiepiscopus Victoriensis Spiritus Sancti, poposcit ut sacer Praesul constitueretur qui Nomine Nostro ritibus illic peragendis praesesset celebrationibusque omnibus, ad te, Venerabilis Frater Noster, Nostram admovimus cogitationem et animum. Narum proinde Litterarum virtute te *Missum Extraordinarium* ad XIII Eucharisticum Congressum in Brasiliensi Nazione peragendum creamus: ibi, ut res ipse postulabit, de Eucharistia varia apta ratione loqueris. Cunctis quidem participibus Nostram significabis salutationem, Nostram in Ecclesiam Brasiliensem dilectionem, Nostramque per spiritum praesentiam.

Fidenti animo legationem hanc tibi committimus, benevolentiam Nostram erga te testantes etiam de officiis ante hunc diem efficienter peractis. Demum, Venerabilis Frater Noster, muneris praesidium tibi, universis vero Congressum participantibus auxilium validum, Apostolicam Benedictionem peramanti animo dilargimur.

Ex Aedibus Vaticanis, die VII mensis Martii, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

IOANNES PAULUS PP. II